

Bibliothèque numérique

medic@

**Chomel, Aimable - candidat / Maloët,
Pierre-Louis-Marie - président. - An
Vitae exercitium à fibrarum
sensibilitate ?**

1752.

***Paris : Typis Viduae Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2333 n°1***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax12x0001](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax12x0001)

M^s 2333 (Ancienne Suite : 471)

T H E S E S
P H Y S I O L O G I C Æ,
H Y G I A S T I C Æ,
P A T H O L O G I C Æ,
E T
C H I R U R G I C Æ.
I N S C H O L I S

M E D I C O R U M P A R I S I E N S I U M
P R O P U G N A T Æ,

A B A N N O 1752. *mensis 9^{to}.*
A D A N N U M 1754. *mensis 9^{to}.*

*Collegis ordinariis et
in facultatis Bibliotheca
exponit H. T. Baron
Decanus 1754.*



*M^o Hyacintho Theod.
Baron Decano.*

P A R I S I I S,

M D C C L I I



THESE

PHYSIOLOGICA

HYGIENICA

PATHOLOGICA

ET

CHIRURGICA

IN SCHOLIS

MEDICORUM PARISIENSIVM

PROTUGNATA

AD ANNOVM

MDCCCLXIII



PARIS

MDCCCLXIII



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-sexto mensis
Novembris, anno Domini M. DCC. LII.*

M. PETRO-LUDOVICO-MARIA MALOET,
Doctore Medico, Præsides.

An Vitæ exercitium à fibrarum sensibilitate ?

I.



UM maternâ conclusus in alvo, foetus vivebat, sensuum externorum indigus, varios tamen sensus expertus est. Horroris ipsum atque doloris fuisse participem probant plurima nec facile refellenda exempla. Ast ubi primum nixibus hunc violentis profudit in lucem natura, insolitas carpere se auras gemitu lugubri testatur. Blanda atque infracta mulcentium verba, lacteum, quod appetit incognitum, nectar ignoto lætitiæ sensu primum perfundunt. Ab infantiâ si vitæ varias condiciones perpendas, omnia sensu quasi regi deprehendes. Nunc videbis ob doloris ingratam sensationem, pessima quæque devitari, nunc arripi atque vehementer appeti quæcumque suavissimâ nec non inassuetâ amœnitate nos demulcere possunt. Felices nimium si tot quæ hinc & inde dolores erumpunt, pari saltem voluptatis sensu compensarentur. Ast ex ipsis floribus surgit semper amari aliquid quod angat in medio leporum. Ad meliora nati homines, discant ergo dolores fortiter intueri, voluptates spernere; vitam regant sensus, animam melioris spes vitæ; sed in hâc mortali nostrâ conditione plus sensus valent quam vulgò creditur; vita ipsa pendet à sentientis fibræ contractione. Quæ vitam absolvunt functiones, nullâ aliâ ratione aut intelligi aut enodari possunt.

A

IN omni sensu tria semper spectanda. Objectum vim aliquam inferens, subjectum sensus capax, actio alterutrius in alterum. Leves sensus blandum quid & dulce secum animo imprimunt; mediocres distinctam procreant ideam, ultra modum fortes dolorem conciliant. Actio quæ sensum movet composita est, objectum sensibile agit in sensile organum, hinc in organo motus necessariò producitur. Mutatio enim nulla corporea sine motu concipi potest: sed motus ille nunc est evidens, nunc per effectus duntaxat percipitur. Ad retractionem, tensionem, ac vibrationem quamdam recte omninò illum retuleris. Nec credas motum esse semper sensationi excitatæ proportionalem, in aliis partibus corporis sensatio maxima in mente exoritur sine ullo motu evidenti ut in nervis, tendinibus, &c. in aliis vix ulla sensatio percipitur, motu vigente maximo ut in omnibus musculosis visceribus. Nonne vides ut lucis actio vividior pupillam constringat sine ullo doloris sensu, retinam dolore afficiat nec illam tamen ullo modo contrahat. Ubi igitur corpus aliquod sensile vellicatur, pungitur, liquore acerrimo ex chemicis petito irritatur, excitatur vel sensatio vel contractio vel uterque effectus, quorum uterque vel alter-uter semper partis nativæ dispositioni, subjecti idiosyncrasia, vividæ impressioni est in ratione composita proportionalis. Nec sunt hæc hypotheticæ physices figmenta, sed oculatoris experientia documenta è vivis animalibus pluries eruta, atque observata, viam monstrante sagacissimo Doctore, * cui quidquid in abstrusiori Physiologiâ scire & intelligere datum est nos debere memores palam profiteamur; ex quibus experimentis constat partes corporis alias esse prorsus insensiles, qualia sunt ossa, cerebri substantia, medullâ solâ oblongatâ exceptâ, membranae plures, præsertim cellulosa; alias esse doloris excitandi capaces, ut omne aponeuroticum, tendineum, nervosumque genus, præsertim ex omnes partes ad quas nervi villosâ sub formâ tendunt, quales sunt cutis, quæ nisi operta esset epidermide villis nerveis undique videretur pertusa, organa omnia digestionis, quorum cavum interius villis nerveis undique oblitum tenuissimâ tegitur epidermide, ut & aspera arteria ac indè bronchiorum omne systema, ureteres, vesica, quæ omnia cum exteriori cute communicantia ab eâ epidermidem mutuuntur. Aliæ etsi sensum evidentem non proliant, contrahuntur evidenter liquoris acerrimi attractu, nec indè animal videtur violentioribus nixibus aut clamoribus dolorem testari quales sunt membranae quædam ut mesenterium, organa musculosa omnia, imò & cor ipsum, atque diaphragma quorum perennante nec mutato motu, volumen contrahitur. Nec certè dicenda est insensibilis pars ad irritationem adedò mobilis, cum ea præsertim proprietates vivo tantum animali competat, in interempto verò fatiscat & extinguatur. Ex his certè ambobus sensibilitatis effectibus, omnes quasi spontè defluere, necnon explicari vitæ functiones manifestò liquebit attendenti.

* M. Anna
Carolus Lorry.

I I I.

VULGO recepta divisio functionum tres constituit classes, quarum aliæ animales, aliæ vitales, naturales demùm aliæ nuncupantur. Harum definitio satis aliundè cognita. Animales solo sensu non peragi evidens est. Quæcumque sint, sensibus percipiuntur objecta præsentia, repræsentantur absentia; verùm nihil indiga sensibus anima per se cogitat, sese ipsam suumque authorem mirabunda agnoscit, per se vult atque dijudicat. At vitales sensibilitate omninò regi nobis demonstrandum incumbit. Multa apud recentiores excogitata, quibus perpetuum illud corporis mobile ad leges mechanicas revocaretur; sed obstant plurima quin prorsus per has-ce leges res possit peragi. Attrituum ingens numerus, directionum diversitas motum infrigens, vasorum renixus, superficierum multiplicatio, obstant quin perpetuè eadem ad cor quantitas sanguinis appellat & ab eo rursus expellatur. Hinc excogitata à Boërhaavio nervorum cardiacorum paralyxis, cui multa repugnant ex nervorum naturâ, situ, compressione impossibili, saltem universali. Rem è proprietate

te quâ cor ponitur ut sese contrahat omninò expederis : in animali enim semimortuo, flatus, aqua, quodlibet in venas injectum, motum exsuscitat. Si exterior cordis fibras injecto spiritu nitri irritaveris, nil apparebit mutati præter actionem quæ ferè duplo citiùs absolvitur : sanguis pariter in thalamos cordis irruens stimulum muscularem exsuscitat, quo vacuantur thalami, implentur arteriæ : sed & arterias stimulo dociles constringi facile probabit quicumque scalpello pungere vel liquore acri eas audebit exterius attingere. Contrahuntur enim & in sanguinem prementem reagunt alternis quidem ex motu mechanico, venæ verò ex iisdem motuum legibus continuâ contractione. Hinc quò sanguis copiosior affluit eò fortior pulsus, eò vividior circulatio. Hinc quò acrior, sive à propriâ crasi desciscat, sive quid intus hæserit heterogeneousum pulsus pariter increfcit, stimuli vi quantitative semper proportionalis. Sed si à stimulo in vasa à sanguine incusso pendet sanguinis circuitus, tota ab eodem stimulo vita pendet. Quæcumque enim intrâ corpus peraguntur pendent ab isto circuitu, nostraque probata foret conclusio si quod vitam præsentem facit, eidem sufficeret continuandæ.

I V.

PORRO omnes aliæ functiones, vel præparando sanguini, vel subigendo destinantur, vel ab eo humorem quemlibet extrahunt. Reparatur sanguis ab alimentorum usu, quæ concocta similem humano corpori naturam induunt, ita ut quæ ex proprietate naturæ in materiam, nutriendo idoneam verti non poterant è corpore eliminentur. Quod ita sagax ordinavit natura ut nihil utile non remaneat, nihil non eliminetur inutile. Porro in toto cõditionis opere tantum organorum sensus quantum ulla alia causa concurrat. Nonne vides ut in primo oris limine sapor ipse venena aut medicamenta repudiet fastidiosus, alimenta captet avidus. Instinctu solo iudice plantas alimentis sufficiens idoneas vel ipsa bruta discernunt, quem corrumpit in homine industria ingluvies, quâ duce tor variæ agglomerantur in ventriculo substantiæ famis irritamenta non sedativa. Sensibilis ipse ventriculus noxia cum impetu erumpere cogit, copiosa regurgitat. Sensibilitas villosæ tuniciæ motum in musculosâ excitat. Hinc versantur, subiguntur alimenta, plorant exiguæ incusso sensu glandulæ liquorem digestivum eò copiosorem quò vividius vellicant admissi cibi ; fundunt mucum irritatæ Ruysschii cryptæ involvendis acris moleculis habilem, ut quod in stomacho semel peractum est, per totum intestinorum tractum continuatâ actione absolvatur. Nec dubites quin ipsum hepar evomat bilem dum sensus alimentorum ejus ciet actionem. Rem evincunt quæ in intestinis detrudunt bilem medicamenta. Certè si animali mortuo, sensu destitutis visceribus aquam in stomachum infundas rumpi potius tunicas quam fluidum per pylorum ad intestina æqualiter distribui videbis, ut aliquandò ipsi vidimus. Quid loquar hîc de motu peristaltico, quem ad detrudenda excrementa necessarium vel levissima aciculæ punctio in inertibus intestinis adauget, accelerat, excitat. Quid de incommodo fœcum in Recto collectarum sensu, ut cogantur quasi inviti homines alvum deponere. Certè ea omnia satis evincunt sensus in digestionis opere maximam esse efficaciam, momentum maximum. Sed quævis excretio, secretio quævis, non sine quodam sensus aculeo absolvitur. Hinc alimenta gulosis salivam movent, timidis alvum exeunt terrores ; spe, lætitiâ, irâ augetur perspiratio ; metus, mœrore, minuitur. Rem evidentiùs evincit menstruorum purgatio, quo tempore fluunt illa, muliebres nervi irritationem undequaque produnt ; unde toties convelluntur. At vel terror minimus vel ingrata in remotâ parte sensatio ea supprimit subitò non sinè vitæ discrimine ; sed & à sonis urinam elicitam fuisse de equite vasconico testatur Boileus. Quid addam hic eam, quæ copiosa constrictis renibus aquea redditur affatim in hysteris, urinam ; sed non aliud argumentum velim, nisi quod omnia quæ sensibus deteguntur secretoria & excretoria organa, constringuntur, si irritans quoddam fuerit admotum. Nonne quò acrior humor est eò vividius sollicitat exitum ac copiosius erumpit ? Certo indicio secretionis quævis à sensu regi atque determinari. Eadem de ratione sicci ho-

mines ac robusti plus per transpirationem exhalant quam molles, pituitosi, inertes; quibus languentia torpescunt organa, quibus lentâ obducuntur nervi mucagine. Jure inter vitales recensetur functiones respiratio, quæ sanguinis molem figuramque sub actu novo conciliat, novum motui ipsius calcar addit. Sed ab importuno sensu quem excitat arietantis in arctata pulmonum vasa sanguinis impulsus, cogi ad dilatationem thoracis musculos quis non sentit, dilatatos, postea pondere ejusdem sanguinis partem opprimentis ad constrictionem urgeri? Hinc ubi vel hæret sanguis intra pulmones immeabilis, vel thorax ad motum indocilis, ire redire viam recusat, intolerabilis suffocatio morti anxiosæ præludit. Adde tot à tussè, sternutatione, suspiriis, singultibus enumeranda argumenta. Patet satis ex his quascumque functiones vitæ necessarias à sensibilitate oriri. Nerveam ergò fibræ primarium esse vitæ organum, hinc & sæpè variorum morborum causam mortisque ipsius, ultra quam, omnia quasi insensibilia moveri adeoque vivere constanter recusant.

V.

QUÆ tot è vulgari Physiologiâ depromuntur contrâ nostram propositionem argumenta refellere facillimum est. Vivere aiunt partes paralyfi perfectâ tentatas adeoque sensus omnis impotes. Sed tunc non perfectam esse paralyfim exinde satis certum, quod gravior paralyseos gradus, medicorum omnium assensu vitam destruat, inducat gangrænâ. Legibus mechanicis omnia peragi contendunt. Obstant omnes quæ adversus varias quas perpetuò mobiles asseruerunt machinas proponuntur nunquam refellendæ objectiones. Majori cum specie veri obtruditur, sensum nullum fine animæ consortio peragi posse, ac proinde sine ideâ in mente excitatâ, nullam porro hic enasci ideam manifestum est. Verum multa fieri sensu vel evidentissimo, insciâ nec tale quid meditante animâ nonne quotidie patet? Constringitur, [ad lucis acutius jubar pupilla, nec jubet anima nec sentit. Quanquàm illud summæ fuerit providentiæ institutum. Certè summo machinæ bono instituuntur vomitus, sternutatio, oscitatio sensus incommodi totidem effugia, non imperio animæ, imò sæpè non sine summo ejus renixu. Non igitur hæc erunt petenda in assuetudine in quam semper exercemus imperium: nec multi faciendum equitis Townshend exemplum qui referente Cheyneo solus mortalium imperium in cor exercuit. Quid alia addamus? Plurima unde quæque suppetunt; verum satis abundè nostram evicimus propositionem.

Ergò Vitæ exercitium à fibrarum sensibilitate.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Honoratus Petiot,

*M. Petrus - Ludovicus - Maria
Maloët, Aëtiæ Præses.*

M. Carolus Dionis,

*M. Ludovicus - Anna Lavivotte,
Censor Regius.*

M. Alexander Dionysius Dienert,

M. Gedeon de Rabour,

*M. Ludovicus - Petrus - Renatus
le Thieullier, Regis Consilia-
rius & in Majori Consilio Me-
dicus ordinarius,*

M. Urbanus de Vandenesse,

M. Laurentius Ferrat.

Proponebat Parisiis AMABILIS CHOMEL, Parisinus, Saluberrimæ Facul-
tatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Author, A. R. S. H. 1752,

A S E X T A A D M E R I D I E M.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1752.